

quem Confirmat, si constituat Procuratorem, qui suo nomine teneat Confirmandum, sicut supra de Patrino baptisimo diximus.

47 II. Patrino Confirmationis designat Parentes, vel in eorum defectu Episcopus. Gobat numer. 788. Potestque Clericus in Confirmatione esse Patrinus; item Monachus respectu alterius Monachi. Barbofa, Castro-Palaus, Quintanadvennas, Gobat. numer. 783. imò Dicastillus numer. 145. credit, Religiosos Mendicantes, etiam respectu externorum posse hic facilius esse Patrinos, eò quòd non sit obligatio instruendi, uti docent etiam Suarez, & alii. Herincx citat. numer. 67. observat, nonnullos censere, quòd Monachis non sit illicitum, esse Patrino Confirmationis, eò quòd Ratio prohibitionis non habeat locum in hoc Sacramento ob non annexum onus instruendi. Communiter tamen alii contradicunt. P. Sannius dist. 3. de Confirm. quest. 6. num. 10. ait: Non peccaret proinde modò Monachus, vel Religiosus, si ex rationabili causa requisitus Patrino ageret in Confirmatione, & fortassis etiam frater Minor non obstante suæ Regule Capit. 11. quia Capitulum Nostrium Generale 44. Interamne celebratum 1500. declaravit, Fratres Minores non posse esse Patrinos, quando exinde oritur scandalum inter fratres, vel de fratribus. Secus si exinde non oriretur scandalum.

48 III. Obligatio Confirmatum instruendi non est in Jure expressa, ut notat Henriquez, & alii: quæ tamen exprimitur in Pontificali, quod vitanda Mala, & facienda Bona, & quoad Pater noster, Ave maria, & Credo: quoniam (inquit) ad hoc sunt obligati. Dato autem, quòd etiam in Canonibus expressa foret, tamen raro admodum haberet locum; eò quòd suscipiens hoc Sacramentum, si sit Adultus, præsumatur utcumque instructus; & quamvis supponeretur esse parvulus, ad Instructionem tamen teneatur Patrinus Baptismi. Herincx cit. n. 66.

49 IV. Cõtrahitur autem Cognatio Spiritualis dirimens Matrimonium inter Confirmantem & Patrino ex una parte, & ipsum Confirmatum, ejusque Parentes ex altera parte, & non ultrà. Juxta Concilium Trident. sess. 24. capit. 2. de Reform. Matrim. de qua agit P. Sporer Theol. Sacram. Parte 4. capit. 1. sect. 1. à numer. 68. quem vide. Reliqua de Patrino Confirmationis sunt ferè explicanda conformiter ad ea, quæ capit. præced. sect. 3. quest. 4. à numer. 101. diximus de Patrino Baptismi. Porro Cæremonia illa, ut Confirmati non exeant templo, priusquam acceperint Communem Benedictionem ab Episcopo, non observatur, quando est tantus accessus, ut alii aliis succedere debeant. Layman lib. 5. tract. 3. capit. 7. Castro-Palaus, Gobat, La Croix lib. 6. part. 1. numer. 400. Denique providè monet Noster P. Herincx citat. numer. 67. sollicitè observandum esse Parochis, ut tum hujus Sacramenti interabilitatem, tum Cognationem spirituales ex hoc oriundam inculcent fidelibus, ob incommoda, quæ alioquin oriri nata sunt. Imò Parochos teneri in libro referre Nomina Confirmatorum, & Patrinorum suæ Parochiæ, (eamque Curam etiam ad Episcopos pertinere) tum propter sciendam Cognationem, tum propter Ordines suscipiendos, docet Quintanadvennas singul. 11. ex Barbofa, apud Busembaum, & La Croix lib. 6. part. 1. numer. 393. qui addit numer. 402. Parochos debere inquirere de hoc impedimento, dum inveniunt Matrimonia, & attendere, an contrahentes fortasse non impediantur Cognatione Spirituali ex Baptismo, vel Confirmatione contracta. Ultimò licet etiam mutare Nomen in Confirmatione. Quintanadvennas cit. singul. 10.

SECTIO III.

De Institutione, Materia, Forma, & Ministro Sacramenti Extreme Unctionis.

QUESTIO I.

Quid sit Extrema unctio, & quando Instituta?

SUMMARIUM.

- 51 Extrema unctio est Sacramentum,
52 A Christo Domino immediatè institutum.
53 Post suam Resurrectionem.
54 Solvitur Obiectio.
55 Definitur Extrema unctio, & explicatur

ASSERTIO I.

50 Extrema unctio est Sacramentum, à Christo Domino immediatè institutum, post Resurrectionem suam, & de-

finitur à Doctore Subtili, quòd sit unctio hominis Penitentis, facta in determinatis Corporis partibus, cum Oleo Consecrato ab Episcopo, ministrato à sacerdote simul Verba certa cum intentione debita profertente, ex institutione Divina efficaciter significans Curationem finalem Venialium. Est partim de fide, partim Communis.

§. I. Extrema Unctio est Sacramentum.

Nomine Extreme unctionis intelligitur illa unctio, qua infirmus in extremis constitutus. Oleo per Episcopum benedicto, sub certa Verborum forma, à sacerdote inungitur ad sublevandam Animæ, & Corporis debilitatem. Dicitur Extrema, partim, quia confertur Homini in extremis constituto; partim, quia omnia Unctionum, quas in hac Vita Christiani recipiunt, videlicet in Baptismo, Confirmatione, & Ordinatione, est postrema. Hanc Extremam unctionem è numero Sacramentorum eliminare conati sunt Hæretici, olim Valdenses, & Albigenes, nunc verò Lutherani, & Calvinistæ, contra quos eam Ecclesia Catholica docemus, Extremam Unctionem esse Verum, & proprium Novæ Legis Sacramentum. Est certum de fide. Patet tum ex S. Scriptura, ex Epistola S. Jacobi, cap. 5. ubi ait: Infirmatur quis in Vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum Oleo in Nomine Domini; & Oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si peccatis sit, remittentur ei, quæ Verba Apostoli continent omnia ad essentiam veri Sacramenti necessaria; Continet enim primò, Signam Externum sensibile, Materia, & forma conitatis, scilicet Unctio Olei, & Oratione, seu Verbo Sacerdotis; deinde designatur Minister, scilicet Presbyter, & subjectum hujus Sacramenti capax, scilicet fidelis infirmus, & tandem per alleviationem infirmi, & peccatorum remissionem, designatur effectus, & gratia Sacramentalis, ex efficacia Extreme Unctionis data, quæ omnia in sequentibus latius explicabuntur. Tum ex Conciliis Florentino, in Decreto unionis, & Tridentino sess. 14. can. 1. de Sacramento Extreme unctionis, definiente: si quis dixerit, extremam unctionem non esse verè & propriè Sacramentum à Christo Domino nostro institutum, & à Beato Jacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum à Patribus, aut signum tantum humanum; Anathema sit. Tum ex SS. Patribus idipsum affirmantibus: Tum ex traditione, definitione, & perpetua praxi Ecclesiæ: Tum ex hac Ratione, quam adducit Doctor Noster Subtilis in 4. dist. 23. qu. un. Quia DEUS non minùs providet Fidelibus suis in majori Necessitate, quàm in minori constitutis; sed maxima necessitas est in exitu de statu Viæ ad statum termini; Mortis enim Articulus multis de causis est hominibus formidabilis, nimirum ob Vitæ malæ Conscientiam, ob Divini judicii timorem, & futuri status incertitudinem, & præsertim ob Dæmonis tentationes, quæ eo tempore acriùs urgent: Ergo sicut DEUS providit Nobis de Sacramento auxiliante in principio Vitæ, nimirum de Baptismo; in Medio Vitæ, scilicet de Pœnitentia; multò magis providit in fine Vitæ de Sacramento opitulante, quo recreantur, & in majorem spem erigerentur fideles in mortis periculo constituti.

§. II. A Christo Domino immediatè institutum.

Est de fide. Patet ex Concilio Tridentino mox citato, ubi licet Concilium non addat particulam immediatè, ex ipsius tamen Verbis satis aperitè colligitur: Eo enim ipso, quòd inquit, fuisse à B. Jacobo promulgatum, manifestè ostendit, non fuisse ab eo institutum; S. Jacobus enim non fuit, nisi promulgator, sive præco hujus Sacramenti immediatè à Christo instituti, ut ait Doctor Subtilis citatus. Hoc idem deducitur ex doctrina de Sacramentis in Genere, ab eodem Concilio tradita sess. 7. can. 1. ubi definit: Si quis dixerit, Sacramenta Novæ Legis non fuisse omnia à Christo Domino instituta, aut esse plura, vel pauciora, quàm septem, aut etiam aliquod horum septem non esse Verum, & propriè Sacramentum, Anathema sit.

§. III. Post suam Resurrectionem.

Postquam nimirum Christus Apostolis dedit potestatem remittendi peccata, Joannis 20. Ita communior Theologorum apud Suarez, Henriquez, Layman lib. 5. tract. capit. 1. numer. 2. Matrium Theol. Moral. disp. 21. quest. 1. num. 13. Herincx Parte 4. tract. 4. disp. 9. quest. 1. n. 8. & alios. Ratio est: Tum quia Sacramentum Extreme Unctionis, juxta Concilium Trident. sess. 14. in doctrina de Sacramento Extreme Unctionis, est consummativum, & comple-

plementum Sacramenti Pœnitentiæ: ergo verisimilius fuit institutum post Sacramentum Pœnitentiæ: atqui Sacramentum Pœnitentiæ fuit institutum post Resurrectionem Christi. Joann. 20. ut docet Tridentinum citat. sess. 14. capit. 1. de necessitate, & institutione Sacramenti Pœnitentiæ: ergo etiam Sacramentum Extreme Unctionis. Tum quia hoc Sacramentum supponit in Ministro potestatem remittendi peccata, & in ipsius Materia consecranda potestatem Episcopalem; sed Apostoli modò post Resurrectionem, Joann. 20. acceperunt has duas potestates, ut modò dictum est Concilio Trident. citat. ergo hoc Sacramentum modò post Resurrectionem fuit institutum; etsi fortè modus benedictionis servandæ circa oleum, uti circa Chrisma sit à Christo in ultima cœna traditus. Herincx citat. qui addit: ut proinde Sacerdos tantum incompletè Ordinatus, accepta scilicet tantum potestate consecrandi Corpus Christi verum, uti non posset absolvere, sic nec infirmos Sacramentaliter inungere; cum potestas inungeandi præsupponat potestatem absolvendi.

54 Dices: Marci 6. legitur, quòd Apostoli ungebant Oleo multos egros, & sanabant, sed hoc fecerunt ante Christi Resurrectionem: ergo ante Christi Resurrectionem Sacramentum Extreme Unctionis jam erat institutum. Resp. Concilio Trident. citat. sess. 14. capit. 1. de Institutione Sacramenti Extreme Unctionis, hoc Sacramentum apud S. Marcum loco cit. fuisse insinuatum, qualiter Baptismus Christi fuit insinuat per Baptismum Joannis; non verò ibi institutum. Ratio est: I. Quia apud S. Marcum loco citat. ab Apostolis illa unctio fuit collata ægris non baptizatis. II. Quia conferebatur etiam infirmis de vita non periclitantibus. III. Quia illa unctio conferebatur tantum sanitatem corporalem. IV. Quia illa unctio collata fuit ab Apostolis tunc nondum Sacerdotibus; quæ omnia convenire non possunt Sacramento Extreme Unctionis: ergo illa Unctio ab Apostolis facta non erat Sacramentum Extreme Unctionis, sed ejusdem insinuatio, ut loquitur Concilium Trident. cit.

§. IV. Definitur

55 A Doctore Subtili in 4. dist. 23. quest. unica, quòd sit unctio hominis infirmi penitentis, facta in determinatis partibus Corporis, cum Oleo consecrato ab Episcopo, ministrato à sacerdote simul verba certa, cum intentione debita profertente, ex Institutione Divina efficaciter significans curationem finalem venialium. Quæ quidem definitio exacta est, & completa, utpotè explicans omnia ad hoc Sacramentum requisita; explicat enim Materiam remotam, quæ est Oleum Olivæ simplex ab Episcopo benedictum. Explicat Materiam proximam, quæ est unctio facta in determinatis partibus Corporis: Explicat formam, quæ sunt certa verba cum intentione debita à Sacerdote profertenda. Explicat Ministrum, qui est solus Sacerdos, ut ex ipsis divi Jacobi verbis colligitur, Explicat subjectum hujus Sacramenti capax, quòd est Homo pœnitens infirmus: denique explicat vim, & effectum hujus Sacramenti, qui est curatio, & remissio finalis venialium peccatorum. Hæc tamen omnia in sequentibus magis explicabuntur. Si fortè desideres breviorè definitionem, en definitionem, quam tradit Layman citat. numer. 1. dicens: Extrema Unctio est Sacramentum per unctionem Olei Benedicti, & Orationem Sacerdotis, ad conferendam homini egrotanti, ac de vita periclitanti, salutem mentis vel etiam Corporis, à Christo institutum.

QUESTIO II.

De Materia Extreme Unctionis.

SUMMARIUM.

- 57 Materia Remota Extreme Unctionis est Oleum olive,
58 Usque ad num. 61. Quid faciendum, si deficiat Oleum?
61 Debet esse ab Episcopo benedictum.
62 Usque ad num. 66. Materia proxima necessaria necessitate Sacramenti est una Unctio cum forma exprimentis quinque Corporis sensus.
66 & 67 Materia proxima necessaria necessitate præcepti est quintuplex unctio quinque sensuum.
68 An quinque sensuum unctioes faciant unum Sacramentum?

ASSERTIO II.

56 Materia Remota Extreme Unctionis est Oleum Olivæ, ab Episcopo benedictum: Materia verò Proxima est unctio facta cum tali Oleo; & quidem de Necessitate Sacra-

menti, requiritur, & sufficit una cum forma exprimentis omnes Corporis sensus; de Necessitate tamen Præcepti requiritur quintuplex unctio quinque sensuum. Communis apud Matrium in 4. disp. 6. q. 3. Herincx &c. sequuntur Recentiores, & Scottitzæ.

§. I. Materia Remota Extreme unctionis est Oleum Olivæ.

Est Certa de fide. Patet ex Concilio Florentino citat. ex 57 pressè dicente. Quintum Sacramentum est Extrema unctio, cujus Materia est Oleum Olivæ, per Episcopum benedictum. Idemque fatis colligitur ex Jacobi 5. ex illis Verbis: ungens cum Oleo, & Concilio Trident. sess. 14. capit. 1. de Extreme unctioe, ubi pro Materia Extreme Unctionis assignatur Oleum; quòd simpliciter positum, secundum Usum Ecclesiasticum stat pro Oleo Olivæ; quòd unicum est verum Oleum absolute, & simpliciter loquendo, conformiter ad derivationem Nominis, quæ sumitur ab Olea, quæ est Olivarum planta. Ut proinde liquores ex aliis rebus expressi, solum cum addito nominentur Oleum, puta, Nucum, Amygdalarum, lini &c. Quare sicut Nominè Aquæ in Baptismo intelligitur naturalis, quæ simpliciter dicitur Aqua, ita hic nomine Olei intelligitur Oleum Olivarum. E hic semper fuit sensus & usus totius Ecclesiæ. Quocirca alia Olea, præter Oleum Olivæ non sunt materia valida Extreme Unctionis, sicut & Balsamum. Nec tamen obstat statim valori Extreme Unctionis, si Oleo feret additio minima alterius materiæ, modò remaneat verum Oleum simpliciter: sicut Aqua manet valida Materia Baptismi, etsi Chrisma ei admisceatur. Unde putat Suarez d. 40. sect. 2. apud Herincx disp. 9. de Sacramento Extreme unctionis, quest. 2. numer. 11. materiam validam Extreme Unctionis esse etiam Chrisma; quæ Opinio quamvis speculativè sit probabilis, non tamen talis est practicè, sed subiacet damnationi Innocentii XI. in l. Propositione; quia in Sacramentis, quando agitur de valore actus, tenemur sequi sententiam tutiorem, qualis est utique opposita sententia Suarez; signèdem aliàs Sacramentum exponeretur periculo nullitatis. Cardenas in 2. Cris. dissert. 2. numer. 497. A versa La Croix lib. 6. part. 2. numer. 2090. Herincx citat. probans etiam ex eo, quia Chrisma non est benedictum ea benedictione, qua Oleum infirmorum benedicti debet; cum tamen Benedictio essentialiter requiratur ad Materiam validam Extreme unctionis, ut statim dicitur. Si tamen deesset Oleum, liceret uti Chrismate; nam in casu necessitatis, quando haberi non potest medium certum, utendum est probabili. Quòd si postea haberi posset Oleum, aut si Parochus per errorem inunxisset ægrum Chrismate, dicendum est cum S. Carolo Borromæo in Instr. Pastor. & aliis cum Illustri hic numer. 1. contra Layman l. 5. tract. 8. capit. 2. numer. 4. Sacramentum debere repeti sub conditione; quia dubium est, an cum Chrismate fuerit validum, & idem dicit synodus Coloniensis anno 1662. apud La Croix citat. si sacerdos per errorem usus esset Oleo Catechumenorum; quòd etiam apud Herincx citat. præscriptis Parochis synodus Mediolanensis 7. Nec obstat, quòd SS. Patres Materiam Extreme Unctionis appellent Chrisma; quia Nominè Chrismatis intelligunt hujus Sacramenti Materiam proximam, seu Unctionem: Chrisma enim græcè, significat latinè Unctionem; Unde in Pontificali Romano, cum benedicitur Oleum infirmorum, illud appellatur Chrisma.

II. Si Parochus deficiat Oleum infirmorum, ita ut non sufficiat pro toto anno, & aliunde non possit habere sufficiens Oleum benedictum, tunc Oleo benedicto admisceat de Oleo Olivarum non benedicto, ita tamen, ut quantitas Olei non benedicti admiscendi sit semper minor, quàm quantitas Olei benedicti, cui admisceatur, & tale Oleum in Circumstantiis prædictis est Materia valida, & licita Extreme Unctionis in praxi, etiam si quantitas Olei non benedicti successivè affusa, si omnes partes simul spectarentur, superaret quantitatem benedicti. Ita Herincx citat. num. 16. La Croix lib. 6. pag. 2. num. 293. Cardenas in Cris. Theologica, dissert. 2. à num. 460. Ratio est: quia defecto partim ex declaratione Cardinalium, quam adducit in terminis Cardenas citat. partim ex consuetudine plurimarum Ecclesiarum, partim etiam ex Rituali Romano practicum certum est licitum esse sic procedere, dummodò successivè, & per particulas sic affundatur, ut pars nunc affusa sit minor altera benedicta, cui affunditur: totum enim hoc ipso fit benedictum.

III. Suarez & Filiucius putarunt ad valorem Extreme Unctionis non sufficere allinere unam guttam Olei, uti ad Baptismum non sufficit apponi guttam aquæ. Sed rectè contradicunt Herincx cit. num. 17. Aversa, & Dicastillus num. 44. sect. 2. nam si digit allinas guttam Olei, diceris ungerere,

re, ut patet ex usu: E contra si digito apponas guttam aquae, non diceris abluere. La Croix cit. num. 2094.

60 IV. Ex usu & praxi Ecclesiae Latinae Sacrum Oleum, uti Chrisma quot annis renovandum est. Idemque expressit Rituale Romanum Tit. de Sacramento Extremæ Unctionis, dicens: Singulis annis feria quinta in Cena Domini ab Episcopo benedictum, veteri combusto renovandum est, quamvis de obligatione dubitent Heringuez, & Ledesma, apud Averlam sect. 2 in fine; eod quod non sit expressum in Jure Canonico tale Præceptum de Oleo infirmorum, sicut de Chrismate. Idemque Heringuez lib. 2. capit. 29. numer. 3. refert, Salmaticenses Juristas, & Theologos docuisse, non esse mortale, etiam extra casum necessitatis, veteri Oleo Ungere; saltem in casu, quo Sacerdos necesse habens copiam novi, ungeret infirmum Oleo veteri, non peccaret: Cum Ecclesia non censeatur velle tam strictè hanc accidentalem, nec tanti momenti Cæremoniam servari cum tanto gravamine infirmo, imò Sacerdos obligaretur eo casu uti oleo veteri, ne lineret infirmum abique subsidio hujus Sacramenti decedere. Herincx citato numer. 16.

§. II. Ab Episcopo benedictum.

61 DE necessitate Sacramenti Extremæ Unctionis requiritur, ut Oleum sit specialiter ab Episcopo benedictum ad hunc effectum, hoc est ad esse aptam Materiam Sacramenti. Ita Doctor Subtilis 4. d. 23. quest. unic. Mastrius, Herincx, La Croix, citans D. Thomam, Averlam, Illung, & Communissimam. Herincx citat. supra numer. 12. ait: hoc docere pro indubitato omnes, quicunque de hac re scripserunt, exceptis Victoria, Serario, Ledesma, & Paludano. Ratio est: Quia Concilium Florentinum in Decreto Unionis expressè dicit: Materia est Oleum Olivæ, per Episcopum benedictum, & Concilium Tridentinum sess. 14. de Extrema Unctione cap. 1. ait. Intellexit Ecclesia Materiam esse Oleum ab Episcopo benedictum. Cum autem Concilia strictè, & dogmaticè loquantur, sicut ad valorem Sacramenti Extremæ Unctionis requirunt Oleum Olivæ, scietiam benedictionem Episcopalem super Oleum. Quod etiam perpetua, ac nunquam ullo casu intermissa praxis Ecclesiae satis ostendit. Nihilominus benedictionem Episcopalem non sic esse de Essentia, quin potestas hoc Oleum benedicens possit extraordinariè committi saltem à Papa, simplici alicui Sacerdoti, docent varii Recentiores Doctissimi. Ratio eorum est: Quia Clemens VIII. die 31. Augusti 1535. In Instru. quæ est inter illius constitutiones 34. sic habet: Non sunt cogendi Presbyteri Græci Olea sancta, præter Chrisma, ab Episcopis Latinis Diocesanis accipere; Cum hujusmodi Olea ab eis in ipsa Oleorum, & Sacramentorum exhibitione, ex veteri ritu conficiantur, seu benedicantur: Chrisma autem, quod non nisi ab Episcopo, etiam juxta eorum ritum benedici potest cogantur accipere. Unde quamvis D. Thomas art. 6. Bellarminus capit. 7. Dicastillus hic numer. 32. Averlam sect. 2. & Communissima dicat, ex præcepto Christi requiri hic benedictionem Episcopalem; cum tamen certum sit, benedici à Presbyteris Græcis, approbante Latina Ecclesia, sententia illa pro Ecclesia Græca videtur esse præctice certa; sed pro Latina est ad summum speculative probabilis, ait La Croix lib. 6. part. 2. num. 2092.

§. III. Materia Proxima Extremæ Unctionis, Necessaria Necessitate Sacramenti

62 I. EST una Unctio, cum forma exprimente omnes Corporis Sensus. Ita Mastrius Theol. Moral. disp. 22. q. 4. numer. 38. citans Silvium, Becanum, Poncium, Hiqueum, Suarez, Coninch, Layman, Caspensem, Amicum, & Alios Recentiores, imò totam Universitatem Lovaniensem. Ratio imprimis, quod Unctio facta cum Oleo per Episcopum benedicto, sit Materia proxima Sacramenti Extremæ Unctionis, desumitur ex ipso nomine Extremæ Unctionis, & Apostolus ipse sufficienter expressit, dum dixit: Ungentes cum Oleo, ac denique Concilia Florentinum, & Tridentinum definiunt. Deinde, quia Unctio est applicatio Materiam remotæ, scilicet Olei; sicut ablutio in Baptismo est applicatio Aquæ: Ergo est Materia proxima. Addit tandem Doctor Subtilis citat. optimam congruentiam; quia sicut Corporalis Unctio adhibetur ad sanandos morbos, sedandos dolores, curanda vulnera, & conservanda membra; sic apertissime hæc Sacra Unctio significat similes effectus in anima, dum sanat

morbos, & confortat infirmum ad luctam imminetentem, nec minus aptè corporalem hominis sanitatem, quam interminus confert, significare potest. Quam congruentiam potius confert, & approbavit etiam Concilium Trident. sess. 14. capit. 1. de Extrema Unctione, dum dixit: nam Unctio apertissime Spiritus Sancti gratiam, qua invisibiliter anima egrotantis inungitur, repræsentat.

II. Quod autem una Unctio cum forma exprimente 63 quinque Corporis sensus sit de Necessitate Sacramenti Extremæ Unctionis, constat ex eo I. Quia nec S. scripturæ, nec Concilia plus requirunt, quam Unctionem; sicut pro Baptismo requirunt ablutioem: Ergo sicut ablutio sufficit in Baptismo ad valorem, ita etiam una unctio in hoc Sacramento. II. Quia Græci dum conferunt Extremam unctionem, faciunt unctionem, per modum Crucis, in facie, nimirum à fronte usque ad Mentum, & ab una gena ad alteram, deinde in pectore manibus, ac pedibus, non tamen in oculis, & auribus: quæ tamen unctio sufficiens & valida reputatur à Romana Ecclesia teste Mastrius citat. num. 39. III. Quia una unctio effectum hujus Sacramenti sufficienter significat, si in forma omnes quinque sensus exprimentur; verbi gratia dicendo: Per istam sanctam Unctionem indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti, per visum, auditum, odoratum, gustum, & tactum: Ergo. Debet tamen semper in tali casu unius unctionis fieri in forma mentio quinque sensuum; nam si in forma fieret mentio tantum de uno sensu verbi gratia visu, forma non significaret sufficientem effectum, ad quem conferendum Sacramentum hoc est institutum, qui est gratia, qua remittantur peccata quinque sensuum, vel illis mediantibus patrata. Si tamen in forma nullus exprimeretur sensus expressè, satis probabile esse judicat Mastrius citat. quod adhuc sufficeret, quia adhuc per verba in ea contenta totus Sacramenti effectus sufficienter significatur, scilicet remissio peccatorum per sensum commissorum. Nec obstat, quod Concilium Florentinum assignet septem unctioes, nimirum in quinque sensibus, & præterea in renibus, & pedibus: siquidem eas non assignat, ut necessarias ad valorem Sacramenti; constat enim ex communi omnium sententia, duas ultimas unctioes, videlicet in renibus, & pedibus ad valorem Sacramenti non esse necessarias. Quare Concilium Trident. citat. nullum certum unctioem numerum pro Materia hujus Sacramenti assignavit.

III. Potest itaque hæc nostra sententia in casu necessitatis, dum aliter fieri non posset. verb. grat. tempore peitis, practicari juxta Auctores citatos, & Pastorale Mechliniense, & Passaviense apud Mastrius citat. numer. 38. Si tamen posses sine periculo infectionis unum oculum, unam aurem, nares, os, & unam manum inungere, & proferre hanc formam: Per istas sanctas Unctioes, & suam piissimam Misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti per visum, & auditum, odoratum, gustum, & tactum, in Nomine Patris &c. deberes sic facere: quia tenetur in confectioe Sacramentorum sequi sententiam tutiorem, quando agitur de valore actus.

IV. Non est etiam de Essentia, quod unctio fiat in modo Crucis; cum ex nullo capite hoc constet. Imò juxta plerosque Doctores omissio Crucis non est mortalis; eod quod consuetudo illam adhibendi non censeatur tam graviter obligare. Unde etiam licet omittetur, quando esset periculum in mora. Nec est similiter de necessitate Sacramenti, quod Minister tangat immediatè membrum, modò Oleum immediatè & physicè illud tangat. Ratio est: quia per virgulam hoc Sacramentum tempore contagionis sepius confertur, & Pastorale Mechliniense, Tit. de Sacram. Extremæ Unctionis ait: sacerdos peracturus Unctioes, pollicem, vel virgulam intingat in Oleum Sacrum. Servandæ tamen sunt consuetudines probatæ locorum. Ita Herincx citat. quest. 2. num. 18.

§. IV. Materia Proxima Extremæ unctiois Necessaria Necessitate Præcepti

66 EST quintuplex unctio quinque sensuum. Ita Doctores Angelicus, & Subtilis, Thomistæ, Scotistæ, & Recentiores communiter apud Mastrius citat. n. 36. ita, ut cum quinque unctioibus quinque sensuum proferantur quinque formæ partiales correspondentes quinque unctioibus. Ratio est quia Concilium Florent. sepe citatum loquitur hoc modo: Infirmus inungendus est in Oculis propter visum, in Auribus propter auditum, in Naribus propter odoratum, in Ore propter gustum, vel locutionem, in Manibus propter

per tactum, in Pedibus propter gressum, in Renibus propter delectationem ibidem vigentem. Et licet hæc omnes unctioes non sint de necessitate Præcepti; cum juxta Rituale Romanum Renum unctio in Mulieribus, honestatis gratia, semper omittatur; atque etiam in Viris, quando infirmus commode moveri non potest; sed sive in mulieribus, sive in viris, alia Corporis pars pro renibus, ungi non debet; Nihilominus quinque Corporis partes præcipuæ ungi debent: quas veluti Sensuum instrumenta homini Natura dedit; nempe Oculi, Aures, Nares, Os, & Manus, ut inquit Rituale Romanum. Quare unctioes quinque Sensuum cum quinque partialibus formis correspondentibus esse de necessitate præcepti, certum est ex universali, & constanti Ecclesiae ritu, & quia alias Sacramentum exponeret periculo invaliditatis. Congruentia est, quod sicut omnis cognitio (sic omne peccatum, quod semper aliqualem cognitionem præsupponit) ab aliquo sensu originem habeat; adeoque ad significandam perfectam animæ curationem, quæ fit per hoc Sacramentum, congruebat inungi quinque Organa quinque sensuum, veluti radices peccatorum. Debet autem id fieri modò hominibus accomodato, videlicet non in ipsa pupilla oculi, non in lingua, non in tympano auditus, non in carunculis, in quibus residet odoratus, sed sufficit id fieri in palpebris, labiis, auribus, naribus.

67 Porro hæc unctio debet fieri per modum Crucis, & in partibus, quæ natura geminæ sunt, duplex fieri debet unctio, verbi gratia, una super Oculum dextrum, altera super sinistram, & unica interim forma correspondens proferri, ita ut formæ prolatio incipiat, antequam verbi grat. prior unctio, oculi scilicet dextri finiatur, nec desinat, quin posterior scilicet oculi sinistri inchoetur; sicut in Rituali Romano Pauli V. adnotatur; ubi etiam dicitur; quod si quis in aliqua illarum partium mutilatus existat, unctio in parte proximiori fieri debeat cum eadem formæ prolatione; quod totum etiam antea jam adnotavit Scotus in 4. dist. 23. quest. unic.

Petes: An quinque unctioes cum suis diversis formis faciant unum, vel plura Sacramenta?

68 Resp. Cum Doctore Subtili, Mastrius, Almains, Poncio, Hiqueo, & Aliis, apud Mastrius citat. qu. 3. n. 44. quod faciant unum Sacramentum unitate Inseparabilitatis, non unitate indivisibilitatis. Ratio primi est: quia omnes unctioes constituunt unum, & integrum Sacramentum Extremæ unctiois, cum omnes ad unam, & integram significationem, & remissionem omnium peccatorum venialium finalium ordinentur. Ratio secundi est, quia quilibet unctio cum sua forma est independenter ab alia significativa gratiæ, & remissionis peccatorum per sensum inunctum commissorum; Ergo per quamlibet unctioem certus gratiæ gradus infunditur; ita quidem, ut peccata venialia per oculos commissa remittantur per unctioem oculorum, & venialia per Aures commissa remittantur per unctioem Aurium, & sic de reliquis. Per omnes autem unctioes: Vel in necessitate, per unam eam formam explicitè, vel saltem implicitè exprimente omnes Corporis sensus remittantur omnia peccata venialia, & conferatur gratia habitualis adæquata hujus Sacramenti.

69 Hoc adhuc adnotandum venit, quod quilibet in administratione Sacramenti Extremæ unctiois, & in faciendis unctioibus fervet ritum, & consuetudinem suæ Diocesis, in quo degit. Similiter ex consuetudine servandus est ordo inter partes, seu sensus Corporis, ut nimirum prius inungatur Oculi, postea Aures &c. Quæ tamen obligatio non est tam gravis, quin in necessitate liceat ordinem invertere. Herincx citat. quest. 2. num. 20.

QUESTIO III.

De Forma Extremæ Unctionis.

SUMMARIUM.

- 71 Assignatur forma consuetæ Extremæ Unctionis.
- 72 Afferitur forma præcisè Essentialis Extremæ Unctionis.
- 73 Quid dicendum ad Casum Parochi extremè inungentis mulierem?
- 74 Forma Extremæ Unctionis debet esse deprecatoria.
- 75 Solutur Objeccio.

ASSERTIO III.

70 Forma consuetæ Extremæ unctiois est; per istam Sanctam unctioem, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum, sive per audi-

tum, &c. deliquisti, in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Forma verè præcisè essentialis est hæc: Per hanc unctioem indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti; quæ etiam essentialiter debet esse deprecatoria. Communissima DD.

§. I. Forma Consuetæ Extremæ Unctionis.

71 Quia Sancta Romana Ecclesia utitur, est hæc: Per istam Sanctam unctioem, & suam piissimam Misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum, sive per auditum &c. deliquisti, in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Ita Rituale Romanum Tit. de Sacramento Extremæ unctiois; & coincidit forma tradita à Concilio Florentino, & insinuata à Tridentino sess. 14. de Extrema unctioe cap. 1. Estque repetenda ad singulos sensus, & alia Membra inungenda cum Proportione. Loco Dominus dicitur in aliquibus Ecclesiis; DEUS, & Rituale Romanum addit: Sanctam, etsi hoc omittant Florentinum, & Tridentinum, Alicubi etiam additur: In Nomine Patris, & Filii, &c. quæ tamen verba juxta communem DD. apud Gobat, tract. 8. casu 21. num. 300. non sunt de necessitate Sacramenti; esse autem de necessitate præcepti, asserunt Angelus, & Paludanus; negant Ledesma, & Suarez disp. 41. sect. 3. servandam esse sub præcepto cuiusque Ecclesie consuetudinem, asserit Hurtadus cum Coninch. disp. 19. dub. 4. Verba illa: Sanctam, & suam piissimam Misericordiam, esse sub mortali proferenda, ait idem Hurtadus cum Dicastillo. num. 68. cum propter universalem consuetudinem Ecclesie: tum quia nonnulli, teste Palao, puncto 4. num. 4. etsi contra Communionem DD. censeat, esse de Essentia.

§. II. Forma præcisè Essentialis Extremæ unctiois.

72 Est hæc: Per hanc unctioem indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti. Ita Graves Theologi apud Mastrius citat. disp. 22. quest. 2. num. 28. item Gobat citat. Herincx, & Alii. Ratio est: quia in his verbis continetur sufficienter sensus à Christo intentus in hujus Sacramenti forma; siquidem imprimis, Necessitate Sacramenti, in forma Extremæ unctiois, debet exprimi Materia ejus proxima, scilicet unctio; quamvis enim factio ipso perficiatur, hoc non tollit, quin etiam verbo proferri debeat; sicut in Baptismo, quamvis factio ipso perficiatur ablutio, adhuc debet verbo proferri. Non tamen necessitate Sacramenti debet exprimi sensus inunctus, quia etiam hic non exprimitur in forma Mediolanensi, & Veneta citanda. Deinde conveniunt Doctores, de substantia hujus Sacramenti esse, ut petatur remissio peccatorum à DEO; quia inter Effectus hujus Sacramenti iste est præcipuus, & principalis, ut dicitur sect. seq. Denique non esse necessarium necessitate Sacramenti, exprimere in forma Extremæ unctiois, istas Particulas, seu verba: Sanctam, & suam piissimam Misericordiam, diximus §. præced. & tamen apud Mastrius citat. num. 27. Suarez, Coninch, Reginaldas, Layman, Diana, & Alii passim. Idem est de illis verbis: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Quia neque hoc Sacramentum est Professio fidei, sicut Baptismus, neque in hoc Sacramento occurrit aliqua Ratio Specialis Invocationis trium Divinarum Personarum, neque in Conciliis hoc declaratur, neque in Rituali Romano: Ergo forma præcisè Essentialis Sacramenti Extremæ unctiois, & necessaria necessitate Sacramenti est hæc: Per hanc unctioem indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti. Hoc tamen non obstante conveniunt DD. debere Sacerdotem omnia verba contenta in forma consuetæ Extremæ unctiois supra num. 71. à nobis assignata proferre, dum confert hoc Sacramentum; Nec aliquid in illa forma omittere, aut mutare sine peccato potest, & pro qualitate mutationis poterit in hoc incurere Mortale, aut Veniale peccatum: tum quia faceret contra morem, & præscriptum Ecclesie: tum quia posset Sacramentum exponere periculo nullitatis.

73 Ex quibus poteris colligere, quid dicendum sit ad casum illius Parochi, quem refert Gobat tract. 8. casu 21. num. 311. Qui, cum Mulierem extremè inungeret, dicebat ad singulorum unctioem sensuum: Quidquid deliquisti per visum, tactum, &c. Nimirum hunc errorem fuisse sub mortali imprimis emendandum ab illo Presbytero, cum fuerit Essentialis variatio sensus formæ Extremæ unctiois; & si hic error non fuisset animadversus nisi post collatam taliter Extremam unctioem, fuisset obligatio mortalis repetendi illam, etiam cum aliqua mortificatione, vel nimis rudis, vel nimis inattenti Parochi. Ita Gobat citat.

§. III.